

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio moralis de usu rerum innoxio ejusque vero ac solido fundamento

**Saalbach, Christian
Golen, Erich**

Gryphiswaldiae, 1694

Articulus I

urn:nbn:de:bsz:31-102735

ARTICULUS I.



Vod Homo duabus constet partibus, anima videlicet & corpore, in ipsum vulgus notum est. Eundem igitur mihi contemplanti (præcisa jam corporis ejus, artificiose alias & concinne valde exstructi, consideratione,) dignitas quædam ac præstantia in eo, præ brutis animantibus, comparet. Etenim intellectus tanto radiat lumine, & voluntas tanta mobilitate, a CONDITORE SUMMO, ornata est, ut ille, res apprehendendi, cognoscendi, discernendi atq; dijudicandi, egregia vi polleat: hæc vero ad easdem, ubi prius bonæ cognitiæ fuerint ac dijudicatæ, appetendas, ubi malæ, repudiandas & rejiciendas, se ultro movere valeat. Quam prærogativam in ceteras creaturas cadere, nemo existimet: uti nec aliquod jus, indeq; productam obligationem cum homine communem habent. Ut autem rationis capax creatura licentiam suam pro lubitu, (quod ἀρωγὸν & ἀνάγκη,) sine vinculo haut exerceret, universali quædam, eaqve perpetua regula, quam conditio ac natura ejus requirebat, ad honestum eligendum, turpe vero fugiendum, cum vi obligandi eandem coercere atqve compescere, placuit supremo legumlatore. E qua necessitate, officia hominis erga DEUM, seipsum præcise consideratum, atqve alios in communi vita mortales obeunda, eruere haut infeliciter solent morales Philosophiæ Doctores. Et quidem officium DEO, ut hujus universi Creatori potentissimo, ita Conservatori ejusdem benignissimo, debitum, paucissimis delibasse sufficiet. Disponit autem illud circa internum cultum, virtutes nimirum & cordis affectus, actionesq; externas: simulq; innuit, quod DEUS colendus sit, quem cultum homo dein per actionem, quæ oris, operis, ac gestus declarat observantiam honoremq; rursus exponat, necessum erit.

II. Quoad porro seipsum, officia sua nec negligenter excolenda putet homo. Sui enim culturam officii erga reliquos specialibus, eo magis præmittendam censebit, quo minus, qui sibi est inutilis, ceteris inservire aptus est. Et sic de cura sui ipsius tanto erit accuratior, quanto difficilius ejus neglectum præconceptasve opiniones emendationi subesse, cuius est obvium. Semetipsum ergo noscat, quod præceptum ad totum compositum spectat, atq; media ad socialitatem facientia

apte

apte invenire
est. Quem
tia dona, præ
stationes, qu
nequit, ni e
actionibus e
indolis esse
potius nob
dubium no
erit. I
cultu pro
ita nec n
propriar
dem a te
egre qu
sanæ rat
DEI sap
Cujus p
tas, præ
prætere
rum m
sus Phi
rare:
dant, se
opes co
quæ ci
sperner
fuerit,
eo eni
rum p
mum,
Vita
lum ali
aliquib
tum:
moli p

apte invenire, eandem vero destruentia prudenter antevertere discat, e re est. Quemadmodum autem eximiam ac fructuosam culturam admittentia dona, præ ceteris, longe plurima non modo accepit homo, sed & præstationes, quibus obligatum se sentit, decenter ac convenienter obire nequit, ni exquisita cura insitam facultatem promoverit, egregiusque actionibus edendis idoneam reddiderit: sic quoque præstantioris eam indolis esse, præ brutorum, curam, quam in ipso non terminari, quin potius nobilissimum ac munificentissimum fructum in alios diffundere, dubium non videbitur. De qua re paullo inferius pluribus agendum erit. Itaque homo mente præditus & corpore organico, de utriusque cultu providebit mature, qui ut non parum sollicitudinis molestiæque; ita nec minus necessitatis secum fert. Anima certe, actionum homini propriarum origo ac principium, bonarum rerum cultura citius, & quidem a teneris, quam pravarum opinionum culluvie, quam deinceps ægre quis exuerit, imbuatur: judicia de rebus recte formentur: motus sanæ rationi subjiciantur: immo, quod palmarium est, cognitione DEI sapientissimi ad salutem perquam necessaria, perfundatur animus. Cujus proinde labor, præ corporis, solícite habendus: quin & voluntas, præ intellectu, cultui exponenda; bonum nempe morale, naturali præferendum: hæc vero utraq;, bonis corporis. Sed fortunæ bonorum usus, normæ sedulo conformandus. Spiritualia bona ignorat prorsus Philosophus. Adhæc, naturam sui ipsius debet homo probe explorare: conditionis munerisque nec immemor: quousque vires sese extendant, scire, & nil supra easdem tentare convenit. Circa existimationem, opes corradendas, voluptatum titillationes, eadem opera versabitur, quæ circa litterarum delectum adhibenda. Nec corporis moderamen spernendum est, cujus machinam si quis accuratiori oculo intuitus fuerit, ejus fulturis ipsum animum sustineri, facili negotio cognoscet: eo enim male se habente, hunc quoque suo munere non defungi, vel parum præclari efficere, simul percipiet. Vita, bonorum corporis optimum, ejus deinde sanitas, membrorumque integritas, conseryentur. Vita enim adempta, unionis, animam inter corpusque humanum, vinculum alioquin solutu difficillimum, vim patitur: & sanitate corrupta, aliquibus mentis functionibus operationibusque injicitur impedimentum: tandemque truncatis mutilatisve membris, actiones, quæ ejusmodi partium ope exseruntur, non possunt non suspendi, adeoque penitus

fisti. Verbo : Homo honeste vivat, inque omnibus suis operibus honesti rationem habeat, (hinc æquum & honestum subinde jungi nemo ignorat,) & quod non vetat lex, hoc vetet fieri pudor. SENECA in *Troade* v. 335. Ideoq; si animam intus bene constitutam habere satagat, ejus tranquillitatem sibi paret. Ut vero actiones suas feliciter dirigat, prudentia habet opus. Ars enim vivendi est prudentia, ut medicina valetudinis. Huc referendum SERVATORIS præceptum, *Math. X. 16.* Verum enim vero, qvi prave est instructus, nullaq; arte honesta imbutus, aliorum hominum commodis promovendis ineptus plane censendus est. Nam, sibimetipsi inutilis & ignavus, aliis vero gravis, animam pro sale, ne putrescat, possidet, *numerus tantum existens, ac fruges consumere natus*, & sic; ἐπίσιον ἀχθὲ ἀρήρης, HOMERUS *Iliad.* Σ. v. 104. Vel, qvi ignaviæ sese consecrat, bonis a majoribus relictis duntaxat contentus, qvibus per socordiam consumtis, misere vitam vivere cogitur; cum tamen *Gentium Doctor*, inter alias, qvare cuilibet sit laborandum, hanc etiam causam alleget; ἵνα ἔχη μετὰ δίδοναι τῶν χρείων ἔχοντε, *Ephes. IV. 22.* Et ejusdem farinae homines alii, qvos, quasi inutelia ingrataq; pecora, alit terra. De qvibus satis pro instituto. Plura qvi desiderat, eos, qvi hæc fusus tractarunt, adeat. Mihi, qvi in seqventibus dictorum usum in civili vita monstraturus sum, perfunctorie eadem diduxisse sufficiat, cui talia omnino præteruisse, integrum non fuit.

III. His succedunt officia, qvæ homo adversus alios homines in societate, ad quam ineundam (facto progressu à primis s. simplicibus ad coetus compositos) natura ipsa invitabat, indigentia vero impellebat, atq; ratio disponebat, viventes, exercebit. Quoniam enim non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici, &c. PLATO & CICERO. τὰ λογικὰ ζῶα ἀπ' ἄλλων ἕνεκα γέγονεν, ALIUS. *Membra sumus magni corporis*, SENEGA. Sed aliis etiam, a qvorum læsione, qvi tantum abstinet, præcepto satisfecisse non dicendus; igitur commodi quid ac proficui, alter alteri, ut naturæ suæ æque participi, exhibebit. Et tale quid eidem denegasse, aut minimum invidisse, summa inhumanitas habetur. Quid jam homo aliis debeat, ulterius videndum; qvòd & CICERONI, & aliis, officiorum nomine, proprie venit. Quia vero inter homines multas dari relationes constat, qvarum intuitu officia nostra iterum variant: de iis aliqua disseram particu-

particulariter, quæ intentioni meæ propositæq; brevitati accedere propius videbuntur, utpote potiora sectaturus, ne in nimiam molem excreseat, modumq; disputationis excedat schediasma hoc meum. Communiter autem talia quæ dicuntur officia, vel homines in certo, vel quosvis in quocumq; degentes statu, dirigunt: specialia illa, hypothetica, & secundum quosdam acquisita vocamus: hæc vero communia, quæ ex DEI voluntate immediate originem trahunt, citra & ante consensum patrumve humanum spectata, absoluta atq; connata appellamus. E quorum ordine, hoc primum, consensu eruditorum, præceptum assumendum est, quod e statu Humanitatis fuit, omnesq; adeo homines in universum respicit: & sive imperantes, sive parentes exstiterint, æqualitatem tamen aliquam inter eos intercedere, non sine causa statuit. Eandem cum iis, quæ rationis expertia sunt animalia, observare & aptam de se vitæ regulam gignere non autumo; sed eam commodius, quæ juris alias nuncupatur, singulosq; homines sub se complectitur. Licet vero animi, corporis, fortunæve bonis alios antecellant nonnulli; nihilominus tamen quemlibet eorum, Juris Naturalis præcepta acceptare obsequioq; prosequi, oportet, ut ipse ab iis præstari sibi talia expectat. Idem esto iudicium de injuriis inferendis, ubi licentiæ frenum non laxabitur. Ex adverso vero qui necessariorum copia destituti sunt, circa juris communis fruitionem, ceteris hautquæquam deteriores inferioresve reputandi. Hoc ex hominis natura recta colligitur: corrupta si consulatur, æqualitatem dicet malitiæ, cujus vocabuli ratio caute explicanda. Huc facit revelatio, eandem quæ tradit nobis in Christianismo, ubi pietatis exercitium omnibus, ne uno quidem excepto, incumbit, ut reliqua huc transcribenda taceam.

IV. Hinc est, quod quisq; alterum hominem æstimare ac tractare debeat, tanquam naturaliter sibi æqualem, seu, ut æque hominem, ut ait, PUFENDORPIUS de Jure Nat. & Gent. lib. II. c. II. sive; ne quis, cui peculiariter jus non est questum, pl9 sibi, quam reliquis arroget, sed alios æquo secum jure frui permittat, Ibid. E quæ æqualitatis custodia, ceu fonte, humanitatis aliqua officia, ad instar rivulorum inde sua sponte fluentium, eaq; cumprimis, quæ sine vituperio nemini negari vel possunt vel debent, & dicuntur RES INNOXIÆ UTILITATIS (utnam felici ac fausto, cum successu!) derivare in animum induxi. Etenim alterum vel quæ vitam, vel honorem (hujus cum illa eadem fere est ratio);

est ratio,) ei debitum qui non læsit, socialitatis legem soluisse frustra supponitur, sed multo arctiori vinculo opus est, idq; cognatione inter homines naturæq; communis ratione exigente, ut hominum animi combinentur; quo fiet, ut alter alteri beneficiat, & vita socialis hoc modo tranquilla ac beata invicem procuretur. Quo autem ceterorum utilitas, quantum in se, & commode fieri par est, promoveatur, ex lege humanitatis, aliorum ope & auxilio opus est, ad quod officium præstandum omnes, ob communem statum, indistincte, quamvis imperfecte, tamen regulariter obligantur: quod sic intelligendum velim; gloriosus enim est ejusmodi officiorum exercitium, si, ut ab aliis amor alliciatur, ac proprius declaretur, ostendendo animum officio explendo pronum, & alios beneficio sibi una devinciendo, pudori hominum relinqvatur, quam ad idem obtinendum coactio adhibeatur. De cetero, procurari solet alterius commodum, vel *re* vel *operis*, harum respectu res ejus perficiuntur & conservantur: sive tantummodo, absq; ullius rei ratione, ad versus alienos insultus, si eidem succurratur, atq; in emendandis aut animi, aut corporis defectibus, subsidium feratur. Quotum efficaciam ac vim, tam inter eos, qui in naturali, quam qui in civili statu sunt constituti, cernere licet. In priori, imperfecta nonnisi oritur obligatio: quo vero sit perfecta, non immerito requiritur ut auxilii ac præsidii indigus, citra ejus obtentum, plane pereat: nec præterea ab alio æque idem consequatur; demumq; ipse dominus non eadem prematur necessitate, vel in eandem mox devolvatur. Quo præsupposito, imperfectum in jus perfectum abire, in aperto est. Exempla acciri prohibet instituti ratio. Sed in posteriori variam induere naturam dictam obligationem, prout circumstantiæ, imperantes inter & subditos, ipsosq; adeo principes, civesve ad se relatos, differunt, probatu difficile non erit. Verum, quid homo indistincte, quidq; distincte certoq; cum respectu, homini solvere debeat, examini subjiciens, dicam quod sentio. Nullius certi intuitu, sed in universum, aliorum commoditates promotum imus, cum propriam nostram mentem, propriumq; corpus sic expolimus, ut ceterorum in civitate una habitantium, vita, ad felicitatem attingendam, cultior meliorq; asseratur. Qua occasione, non huic aut illi specialiter prodesse, sed velut in medium, bona & dona nostra, quibusvis exponere, nobis est animus. De quo officio, quia supra, limatius aliquanto me egisse memini, idcirco nunc, ne

cramben

cramben
Distinctio
indulgentia
vel cultus
sive conjunctio
ratio in eo
affectu in
Quam tra
alienam
ad eos,
ablegat
conf
V.
fund
in prox
viam b
scendu
aggred
quicquid
bonu
volum
regula
parien
partim
vocab
liberal
V
trader
stranti
scium
Juris p
Utilita
non m
de Offi
Lib. I

eramben bis coſtam videar apponere, idem repetere ſuperſedeo.
Diſtincte rurfus ac magis definite communem ſtatum tangimus, aliis
indulgentes id, cujus gratia, eorum emolumentum vel augemus
vel cuſtodimus: idque duplici modo, ſive citra detrimentum,
ſive conjunctum ſæpe cum moleſtia & noxa, eſſe putatur. Hoc κατ'
ἐξοχήν, beneficiorum nomine inſigniri haut intreqvens eſt, quorum
ratio in eo conſiſtit, quod ex benivolo & generoſo animo, vel benigno
affectu in alium ſine compensatione, conferantur, etſi cum impenſa.
Quam tractationem cum ſuis requiſitis, a ſcopo mihi præfixo, tanquam
alienam, removendam eſſe puto. Interim hujus rei cupidum lectorem,
ad eos, qui eandem actu, ut dici ſolet, exercito, enodarunt, comiter
ablegatum velim. Illud, *Vulgaris humanitatis* vocabulis exprimi,
conſuetum.

V. Expoſitis jam iis, circa quæ, tam qua officiorum humanitatis
fundamentum naturamque in genere, quam qua eorundem diſiſionem
in proxime præcedenti artic. allatam datamque, huc uſque occupatus fui,
viam bipotentem, ad USUM BENEVICIUM INNOXIIUM uberius cogno-
ſcendum, aperuiſſe mihi jam videor. Conſequeus proinde eſt, ut eum
aggrediar examinare. Per RES INNOXIE UTILITATIS,
quicquid abſque diſpendio rerum ac operarum noſtrarum proprio, in alium
hominem vel ignotum tranſfertur, judicatur & intelligitur. Scrupuloſum
votum examen me ſuſpenſum non tenebit, & ſingulas ad Logicorum
regulas, quaſi tritas, delicatioribusque ſæpenumero ingeniis, tædium
parientes, trutinare non juvabit. Hæc & alia partim ex ſupra jam dictis,
partim ex adhuc dicendis patebunt. Modo ἰσοδυναμῶντα notentur
vocabula, ſcilicet; *opera Charitatis, humanitatis officia late ſic dicta,
liberalitatis munia & benignitatis, &c.*

VI. Quarum rerum originem ac naturalem cauſam, ſi dilucidius
traderem, ab inſtituto meo alienum non foret. Eandem vero perlu-
ſtranti, Graviffimorum virorum ſententiæ calamum moram pati ne-
ſcium retardantes, mihi occurrunt, vel primo aſpectu terribiles, qui
Juris primæ vi reviviſcentiam, veluti veram ac genuinam rerum innoxie
Utilitatis rationem, ſupponunt. Nimirum CICERO, qui ſuo tempore
non minus philoſophandi, quam loquendi ſtadium profeſſus eſt, *Lib. I.
de Officiis Cap. VII.* eruditi orbis incomparabile lumen HUGO GROTIUS,
Lib. II. c. II. de J. B. & P. JOB. SELDENUS *de Jure N. & G. THOM.
HOBBS,*

HOBBS, *de Cive*, c. 1. BELGA ANONYMUS in *Epistolica Dissertatione de Justo & Decoro*, p. 100. seqq. ILLUSTRIS SAM. PUPENDORPIUS l. IV. c. IV. & V. CHRIST. THOMASIVS, *Jurisprud. divine lib. II. c. IX.* & plures alii, *primævans communionem* uno quasi ore statuunt, & pro ea, tanquam pro aris ac focus pugnant, in *negativam & positivam* distinctione facta. In illa primos homines vixisse opinantur, ut ipsis ob paucitatem, intra quam humanum genus consistebat, convenientissima, ubi quælibet res in medio posita, omnibus negative fuerit communis, h. e. non magis ad hunc, quam illum pertinens. Quæ cum ad conservandam pacificam societatem inepta fuerit, & vita humana per industriam excoli cœperit, distincta rerum dominia demum introduci debere, facile noverunt homines.

VII. Quæ sententia licet magnorum sit Virorum, & de Re Litteraria optime meritorum: quo minus tamen illi subscribere liceat, faciunt rationes & auctoritates in posterum adferendæ: quæ adstruunt ejusmodi communionem nunquam extitisse, nec fuisse possibilem, vel ante, vel post lapsum hominum. Equidem, quæcumque jus primus mortalium in res accepit, a DEO id in totum ac solidum eundem obtinuisse, hæcenus creditur probaturque. Et si facultatem tantum sine dominio habuisset, citra *πλεονεξίας* crimen, proprietatem non usurpasent posteri; cujus hæc est ratio, ut non modo ab eadem secluderet alios, si qui exstiterint, sed, quod attendas, quæso, quod non ullus fuerit, qui in res jus sibi acquireret, si non excogitentur Præ-Adamitæ, quod absurdissimum. Præterea liberi Adami, quamdiu paterna familia continebantur, a dominio rerum exulabant, & id duntaxat, quod genitor iis vel post emancipationem, vel ante suum obitum, jure veluti peculii, pro sua liberalitate, assignaverat, possidebant. Unde apparet, occupationis jus in rem vacuum, locum hic non invenire. Vid. CASPAR. ZIEGLERI *not. & animadvers. in Grotium lib. II. c. II.* DN. D. VALENT. ALBERTI *compend. Juris Nat. Part. II. c. VII.* & JOH. STRAUCHII *Dissert. de imperio Maris, c. I. tot. quibus junge SAM. RACHEL. in c. I. Grotii, ac CICER. l. I. de Offic.* Est porro ea rei communis natura, ut ne minima quidem pars ab ullo in alienos usus queat applicari absque injuria communitati universæ illata. Recte itaque colligitur, quod commune dominium, sub lege privati, ad ordinem naturæ rationali & sociali apprimè congruentem, collata subintelligatur; adeoque certum est, privatum

privatum a communi, a DEO alioquin Protoplastis clementer concessio,
non excludi, sed illud cum hoc concurrisse quasi, liberos sine quacunq;
cessione pravia, arcente. Adde BOECLER. in *Grot.* Idem ex rebus sponte
nascentibus, & humana cura indigentibus comprobatur JOH. A FELDEN
Annotat. ad Grot. loc. cit. Quibus junctum est, quod in primavo
statu, ordo rectæ rationi maxime consentaneus, sub hypothese commu-
nionis nequicquam concipiendus sit; ubi enim res possidendi datur
facultas, ibi est ordo, quique per legem mentibus hominum ante lapsum
jam erat impressus. Ab hoc si abeamus, æque frustraneam in statu
postea subsecuto, communionem protelare licebit, si usus Juris uni-
versalis loco proprietatis, quod nihil aliud futurum, quam proprie-
tatem in communi, & tantum non contradictionem in adposito
adfertur ire, vel maxime venditur. Effectus namque proprii hic
est, ut nemini sine summa injuria, possit res ab altero eripi ac auferri,
quod autem sic nequit, id profecto speciem habet rei sub dominio exi-
stentis. Adis JOH. A FELDEN *loc. cit.* Adde, miserrima hominum labe
introducitur, vivere non poterat homo, sine lege, cui communio e dia-
metro opponitur; lex enim unicuique distribuit sua. Huc eleganter
spectantia nonnulla profert B. JOH. CONRAD. DANNHAWERUS, *Colleg.*
Decalog. disp. XVI. §. 2. qui evolvatur. De primi parentis Adami,
ac novi orbis instauratoris Noachi filiis, eorumque bonis divisio, expen-
datur *Celeberr.* DN. SAMUEL SCHURTZPLEISCHIUS in *Dissert. de Servitute*
Maris. Conf. GEORG. HORNIUS in *Arca Noe.* Hisce leviter tactis fidem
conciliat ac robur ipsa S. Scriptura, quæ Adamo in orbe adhuc soli
degenti, dominium quoddam excellens conferre non veretur, *Gen. I.*
26. 28. huc refer *Pf. VIII. 7.* Idem, reparato post diluvium orbe, re-
petebatur, *Gen. IX. 2.* Non dissimilem in modum Decalogus, furtum
ac alienæ rei concupiscentiam prohibens, de proprietate rerum cer-
tiores nos reddit: Quæ lex frustra esset lata, si jus proprii aliquando
cessasset. Atque sic dominium proprietatemque, divini, naturalis
& moralis, non vero humani juris esse demonstravi. Consul. JOH.
AD. OSIANDRI *Observationes in Grotium*, p. 650. seqq. JO. HENR. BOECLER.
in *prefatione ad opus Grotianum*, & *Colleg. Grot.* JO. GEORG. KULPISII,
p. 26. & 27.

VIII. Naturam rerum, quas innoxie utilitatis titulo sapius notavi,
si accuratius pleniusque; evolvere quis sategerit, easdem neque communes
unquam,

B

unquam,

unquam, nec *propria* fuisse, in totum, sed tantum *secundum partem*, extra omnem dubitationis aleam positum est. Enimvero, communionem innox. utilitat. haut ex communi jure, verum *ex ipsa rerum*, quibus ad vitam vivimus, natura ac conditione interna, quæq; in plures sese usus diffundunt, & quidem *citra alterius detrimentum*, atq; ratione usus quem habent, ortum suum ducere, jure merito defenditur. Alias autem id reviviscere vulgo traditur, quod per oppositum aliquod fuit obliteratum; ita vero comparatas esse res nominatas, minime concipi, vel debet, vel potest. Vid. omnino BOECLER. *Mare* quidem dominium admittit, sed qua partes. Et quia proprii indoles in eo vertitur, ut quis eam rem, quæ omnibus non sufficit usibus, vel occasionem præbet dissidiis, sibi soli applicet, altero interim ab ejus usu seposito, observatu digna sunt sequentia: nempe ut res usum sistat hominibus, *mediate* vel *immediate*, per se aut per *coherentiam cum alia*: ut porro, non natura sua usum omnibus ad sufficientiam usque extra litis periculum, exhibeat: Atque postremo, apprehensioni custodiæque aliquatenus sit obnoxia eadem. Quæ clarius sic efferri possunt; quædam res, quæ artis circumscriptæ sunt terminis & cum pluribus communicari non possunt, ex necessitate quædam statim factæ sunt propriæ: aliæ ex opposito, diversos licet sui usus dent, attamen secundum quosdam exhauriri, quosdam rursus abunde sufficere eas posse, in proclivi est: superiores proprietati omnino subjacere, inferiores autem ad virtutem humanitatis aliis usurpari merentur. Quæ quoniam usum de se concedunt innocuum ac inexhaustum, sordidum nimis foret, si cuidam egenti homini easdem subtrahere vellemus: de quibus infra speciatim. Interea vid. JOH. A FELD: *ad Grot.* Ad Maris contemplationem regredior; & quoniam nonnulli, ad fluiditatem ac vastitatem ejus respicientes, vel quod palmarium est argumentum, usum ab omni parte inexhaustum, adeoque omnibus promiscue satisfaciendam, ut præter operam esset, partes singulas velle singulis attribueri, inde inferunt: mare domini esse prorsus incapax; illis jure rehero, naturæ maris nihil minus repugnare, usum insuper ostendente securitate, ac hominum vita commodius transigenda. Totius namque Oceani custodiam uni populo, moraliter esse impossibilem judico cum eruditis, eumque operæ pretium non facturum, qui in ejus partibus per armatas naves communi usu ceteros voluerit prohibere, simul existimo. Illud concupiscere,

cupiscere, quod capi nequit, præcipue ubi non vitæ hujus necessitas, sed invidia, & habendi libido, vel inanis ac inexplebilis avaritia ambitione quaritur, temerarium & supervacaneum ducitur. *Manes igitur innoxia esse utilitatis, oceanum sulcare, nullius enim cum damno id conjunctum est.* At vero partium habita ratione, negotium expeditu facilius multo esse, dicitur ratio nostra sana, testatur experientia. *Partes Maris in proprietatem ivisse, appellationesq; suas a terris, quas alluunt, sortitas esse, nemini ignotum, nisi in Historia hospiti & Geographia.* Pacata *maris navigatio* nihilo tamen secius manebit & omnibus libera, quum nemo adhuc in illud sibi tale jus quæserit, ut reliquos inde pellere voluerit: immo per legem humanitatis esse debet, usu innocuo existente, ac nulli nisi hosti denegari solito. De quo suo loco plura.

LX. Verum itaq; & genuinum harum rerum fundamentum investigaturo, nullum aliud probabilius tutiusve videbitur, *communis natura*, a qua humanitatis officia propellunt, & in quibus communicandis rebus, nihil nisi hominem, naturalem & communem necessitudinem, qua quis tenetur alterius necessitates, quantum fieri potest, sublevare, allegare solemus. Quæ natura vult, ut alteri alter hominum succurrat, si modo citra molestiam damnumque id officii præstare possit. Quale quid alteri non tantum denegare, sed vel invidere, insigniter esset malus qui fecerit, eoq; indignum sese reddiderit talis, cui ejusmodi officium alia vice præstetur. Natura, communem inculcans amorem, hominem homini benefacere jubet: unde proverbium; *homo homini DEUS.* Non satis enim est, esse benivolum, sed oportet etiam esse beneficium, idq; ob cognationem quam natura, inter nos omnes, constituit; alter alterius gratia generatur, ut sibi mutuo queant prodesse. Quia ratione, humanam societatem mirifice procurari ac conservari, certo est certius. *Nam quo alio tuti sumus, quam quod mutuis juvamus officiis? Hoc uno instructior vita, contraque incursionem subitas munitionis est, beneficiorum commercio.* *SENECA de Beneficiis lib. IV. cap. XVIII.* Nec hic naturalis obligatio subsistit definitve, sed ad ea etiam se extendit, quæ majoris sunt momenti & valoris; dicitur enim, *quod sine detrimento commodari potest, id omne cuiusvis tribuendum.* Quorum officiorum mensuram modumque si quis cognoscere velit, vix extra hanc juris communis ac connati regulam; *quod tibi vis fieri, id etiam alteri facias: item, quod quisq; juris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure utatur, inveniet*

aliam, quam ab ipso Θεαυθρωπω in Evangelio pronunciatam, *Matth. VII. 12. Luc. VI. 31.* Quod præceptum tam universale esse, ut omnia fere hominum officia inde definire ac transcribere quis possit, sentio non inique: simulque aliis verbis, sensu tamen eodem, alibi locorum proponi; *Lev. IX. 18. Matth. XXII. 37.* Sed in iis officiis, quæ cum proprio labore incommodoque insigni coherent, necessarium non reputatur, ut propriam utilitatem alienæ postponamus, hoc est, omittamus, eamque aliis tradamus, ipsi interea temporis eadem indigentes: potius vero suæ cuique commoditati, absque tamen alterius injuria, servendum est. Vulgata enim valet valebitque regula: *Charitas bene ordinata, amorque a se ipso incipit.* A qua non abludivit illud *POETÆ; metiri se quemque suo modulo, & pede verum est.* Et *COMICUS* consentit; *Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet, omnes sibi malit melius esse, quam alteri.* Quibus accedit *CICERO: Sibi ut quisque malit, quod ad usum vite pertineat, quam alteri acquiri, necessum est, non repugnante natura.* Et *SENECA: Dabo egenti, sed ne ipse egeam.* Quo tendit hoc *HISTORICI: Melior est causa suum non tradentis, quam poscentis alienum.* Notabile quoque est illud Pythagoreorum, apud *PLUTARCH. Sympos. l. 2.* dicentium: *μὴ δένος ἀφαιρῆν βδρθ, σὺν τῷ πῆδύματι δὲ, καὶ σὺν τῷ κοπιῆν.* Quamvis vero ita sit, aliquos tamen adeo propenso esse animo videre est, ut male se eo defraudent, quod aliis tribuant: quod ipsum genus beneficentiæ, non in donando, sed perdendo verius consistit, ut id taceam, quod alias ambitioni stultitæque profusioni valde sit vicinum, rei que familiari detrimentum acceleret. Unde nos *Sveci; Den som æer så han tiger / skal man stå så han ligger.* Neque vulgare hoc dictum hic negligendum velim: *proximus egomet mihi.* Quinam *proximi* voce alioquin designentur, in eo non magnopere desudandum, omnes scilicet qui nostra opera opeque gaudere cupiunt, & nos vicissim eorum. Et qui nos sanguinis gradu tangunt, eo nomine non solum insigniendi, sed communis naturæ participes homines omnes, quos gradus, in omni officiorum genere observare, prudentiæ est: Non enim par erit ratio, æqualem curam inter hos subire pro externis ac amicis. Enimvero in inevitabili ac præsentissimo vitæ periculo, ubi alterutri est moriendum: ibi lex naturæ monet; succurram perituro, sed ut ipse non peream (sic quoque nostrates; *ingen åhr annan mans broht i hafsuct*)
nisi

nisi futurus magni hominis, aut magnæ rei merces. Illustre hujus rei Exemplum vid. ap. *LOCCENIUM Histor. Suecan. l. VIII. & SCHEPPER. Memor. Suet. Gent. 26. de CAROLO IX*, qui interventu Henrici *Bredes* / etsi cum sanguinis vitæque profusione, libertati suæ vindicatus restitutusque est.

X. Perniciosum *Hobbesu* dogma, quo naturalem hominis amorem erga hominem, benivolentiam mutuam, & hinc communia emanantia officia, improbe perverseq; is negat, prius, tribus verbis, perstringam, quam ad res ipsas in specie enodandas, pedem promoveam. Ille vero *Tractat. de Civ. c. I. art. II.* ubi originem civilis societatis in probatum, in hanc incidit opinionem: *originem magnarum ac diuturnarum societatum, non à mutua hominum benivolentia, sed mutuo existuisse metu: item, hominem non amare hominem naturaliter, id est, ut hominem.* Ficulneis rationibus stabilire & superædificare falsam suam hypothesin, Philosophum cernis. Quamvis autem prior articulus eam satis superque diluat, hæcce tamen breviter sunt tenenda. Civilem societatem, vel solum, vel primario, a mutuo hominum metu arcessendam, non facile dixerim; quin certius, causam ejus *προηγυμένην*, ipsam naturam ejusque instinctum esse, quo tangi moveriq; hominem ad societatem appetendam, nullus dubito, & rationibus firmis non destitutor. *CONF. SVAREZ. l. II. de leg. c. XIX. CICERO in Lelio sive de amicitia. ESSENIUS, disput. XXXIII. BURMANNUS in Synops. Theol. lib. VIII. c. IX. & CASPAR. ZIEGLER. ad Grot. p. 14.* ubi vi naturalis amoris, Reges, populos & subditos inter se obligari, nervose satis comprobatur. *Ad societatem natum esse hominem, & ut aliis bene faciat, ait M. Antoninus philosophus in proleg. Grot. Et Nicetas Choniates inquit ibidem: naturam insculpsisse, & insevisse nobis animi consensionem cum iis, quæ cognata sunt nobis. Quibus amorem ab ipsa natura adstructum iri, nemo non videt. Mutua benivolentia amicitia est essentialis, adeoque desiderium aliis benefaciendi producit, non sui tantum commodi causa, sed & ut alteri benefiat. Deinde excussione non indignum & hoc: concedo eequidem, hominem natura, puta corrupta, non naturaliter amore prosequi hominem; & eundem, in societate cum aliis constitutum, ad propriam fere gloriam commodumque attendere: attamen, etsi ita comparatus censeatur, quin appetitu gaudeat conjunctionis, sive ad eam aptus sit natus, tantum abest, ut quis dubitet. Et hoc non a natura instituta,*

quæ a DEO fuit, sed depravata fuit & labe infecta. Aliorum etiam quæ sunt, quæret homo, & sua non perpetuo. Vid. 1. Cor. X. 24. & XIII. 3. Phil. II. 4. quibus in locis execrandam illam φιλαυσίαν, quæ quævis omnia propriæ utilitatis ergo agit, videbis, sanioribus quoque Philosophis semper ac ubique damnatam. Huic autem obicem non ponens, Christianus nec esse, nec haberi potest. Ex quibus jam patet, quid de HOBBSII statu hominis naturali, quem pro Juris Nat. fundamento adsumere haut erubescit, sit ulterius statuendum. Sed quia ab aliis vapulare satis novi Virum absurdissimum, missum eum lubens facio.

XI. Rerum innoxie utilitatis natura ac origine, pro ingenii mei modulo, in genere sic expositis, ad easdem seorsum enucleandas, ut accedam, methodi ratio imperat. Quid ad dominium rei requiratur, supra est disquisitum. Sed & quædam res ejus sunt nature, utiles licet hominibus, propter suam tamen amplitudinem latitudinemque ita inexhaustæ reperiuntur, ut omnium usibus queant patere, nec singulis iste usus reddatur malignior. Quas sibi subicere, frustraneum ridiculumque foret. Eam ob causam huc referri omnia illa officia, quæ alteri sine noxa operaque laboriosa præstantur, citra dubium est. De iis, Romanæ Eloquentiæ parens CICERO l. I. de officiis, Cap. XVI. *Omnia communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejus; quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest: Homo qui erranti comiter monstrat viam, quasi lumen de suo lumine accendat, facit: Nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit. Una ex re satis percipitur, ut quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex qua sunt illa communia, non prohibere aquam profluentem: Panem ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidei deliberanti dare; quæ sunt eis utilia, qui accipiunt: damni non molesta, &c.* Placet ergo ejusmodi res sub incudis examen mittere, prout vel communes, vel propriæ sunt. Illarum ea est indoles, ut quæ partem quidem occupari & propriæ fieri possint: in se vero & sua natura, h. e. usus latitudine ponderatæ, nullius plane dominio cedant, nec cedere sit possibile. Harum autem vis videtur talis, ut, si quis eas usurpaverit modice, nihilominus supersit domino usus innoxius: vel si adfit abundantia earundem, in perpetuum poterit iis carere. De quibus deinceps. Inter res communes principe loco numerari cœlestia, docet

Lucis

*lucis luminisque usus quotidianus, atque astrorum aspectus, ut jucundissimus, ita & summe necessarius. Astra, quorum nomine & Planetæ, & Stellæ fixæ, veniunt: vel sunt perpetuæ apparitionis circa polum arcticum: vel oriuntur & occidunt, in & circa Eclipticam (de iis, quæ omnimodæ sunt occultationis circa antarcticum & quorum usus nobis nullus est, nunc non est sermo,) omnia hæc nullius dominio nisi ipsius DEI, parent, & usum, quem amplum satis nobis exhibent, æqualiter distribui patiuntur. Magna illa luminaria, Solem & Lunam ab eodem eximi, præterquam quod rationes sint in promptu, demonstrant etiam testimonia. Quid non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata (stipata) sideribus, etiam feras ducit ad pabulum; PETRONIUS. Nec solem proprium natura nec aera fecit, NASO. Luminis lucisque usus terrigenis, quibus in excelsis aere habitare non datum est, licet necessarius sit & liber, fieri tamen potest, ut idem omnimodus quibusdam intercipiatur; in tetrum locum coniectis. Quemadmodum vero homines, amœnitate qui ducuntur; circa ædificia sua fundosque prospectum nimis quantum faciunt æstimantque; unde factum est, ut servitutes quædam sint introductæ; puta, *servus altius non tollens ades*, quæ quis in vicinorum commoditatem, easdem depreffas habebit, & non ultra certam mensuram in altum tollet: sic, ne luminibus officiat, vel prospectui, quo nostrarum ædium quævis luminu minuantur: liberoque quæquaversus prospectui, in loca præsertim delectationi inservientia quid obstet, providendum.*

XII. Ad elementa transeo a Veteribus quatuor definita, utpotè; Ignem, Aerem, Aquam & Terram: Quæ an pro veris ac genuinis elementis sint acceptanda cum numero quaternario, videantur, quorum interest. Ego communem sententiam amplectentes, melioris ordinis ergo, hac vice sequor. *Missa Ignis physica consideratione, ad ejus usum, quem promiscuum nobis concedit, digitum intendo. Est ille communis, &c. pati ab igne, ignem capere, si quis velit. CICERO. Sed habito respectu ad illum ENNI finem; ut nihilominus ipsi luceat. Et PLUTARCH. 7. Symposiacôn: Proinde indecorum est, ob avaritiam, lumen lucernæ, quando ejus usum nos porro non desideramus, extinguere, sed conservandum, si quis fortè veniat, qui eo etiamnum ardente, opus habeat. Ita idem quest. Rom. nec non OVID. quis veteri appposito lumina de lu-*

de lumine sumi. Et LUCIANUS in *Promethæo sive Caucaſo*, introducitur Promethæum deos invidiæ arguentem, quod sibi, ob ignem cum aliis communicatum irati fuerint; cum tamen ille *nihilominus fiat minor, si quis cum alio eum communicet: neque exstinguatur, quia alius inde flammam transtulerit.* Cujusmodi usu nemo alias erit privandus & exuendus, nisi qui nefarium aliquod facinus patraverit, certique criminis convictus fuerit, ut non citra meritum pro indigno habeatur. Exempla cape ex PLUTARCHI libro de invidia & odio: & Orat. Dinarchi contra Aristogitonem. Interim, alterum ad ignem hiemis tempore pellendi frigoris gratia adventantem, vel alia legitima de causa usum ejus desiderantem, impedire, vel si usus præbeatur, ei imputare tam leve officium velle, oppido stolidum ac inhumanum erit.

XIII. *Aera*, qui universum terraqueum globum ambit, suæ potestatis facere sibi que vindicare, laboris esse infiniti adeoque impossibilis, quilibet, qui sanæ est mentis & præjudiciis non præpeditus, non difficulter cognoscet. Proprietas enim jus a re alios propulsandi, uti sæpius ostensum est, includit, quod sane foret inutile, ubi adversus alios in actum haut deduceretur. *Aeris* jam adfertio moraliter est impossibilis, ac custodia nequit comprehendere. Nemo enim ulla ratione id sibi pollicebitur, quominus & reliqui ejus fiant participes. Hinc, *usus communis est*, quod POETA testatur: *proprium natura, nec æra fecit.* Sed quoniam aer puritate impuritateve gaudet, ex eo salubritatem vel secus quid colligimus, quo respectu huic vel illi loco pretium inde facile accedit. Et quoniam aer quoad usum hominibus cum ceteris rebus, vegetantibus & viventibus, non parum est necessarius, communis ac iisdem liber; contingit tamen haut raro, ut certis in locis & secundum partem impediatur, servitusque ei imponatur. Exemplo sint *mola alata. Volucrum cæli, sive aeris*, in Sacra Scriptura fit mentio; sed in eas imperium non temere sibi quis asserere potest, nisi simul in elementum, quod inhabitant, prout natura admittit, sit jus comparatum. Jam vero in aere versari, veluti a terra disjuncto solique aeri innixio, homini est penitus denegatum, ideo imperium & dominium in eundem exercere nullo modo quis valebit, nisi quousque, qui in terra est constitutus, pertingat. Sic *vicinus vicinum adhortabitur, ne suas ædes alius, quam par est, tollat*, quod, quid aliud est, quam quod aerem & sibi æque liberum esse velit ædibus conterminum, etiam extra terræ usum. XIV. *Aeris*

XIV. Aeris usum excipit aqua, quæ in ipsum Oceanum, Maria, fluvios, flumina, fontesque & puteos distinguitur. Quod mare dominium subeat, supra probatum ivi. Verum, libera navigatio quavis de causâ, non impiedetur; maritimi enim itineris usus, inexhaustæ & innoxia est utilitatis. DEUS quadam munera in univcrsum humano generi dedit, a quibus excluditur nemo. Commune autem bonum erat patere commercium maris, & regnum humani generis relaxari. SENECA de Benefic. L. IV. cap. XXVIII. ἄτε πλεῖσθη σημεῖα ἢ ὀδὴ διαφθεῖρσιν χρῆσαμένους. PLUTARCH. Voluit nos DEUS in commune consulere. QUINTIL. Declam. V. Quod nisi observetur, commerciorum usus tolleretur, vel ad minimum restringeretur nimis: Sicque humana societas turbaretur, & jus gentium vim pateretur. Ceterum, non desunt casus, quibus hæctenus assertam libertatem circumscribi decet, advenientibus nimirum hostibus, navesque suas adferentibus; uti sunt, integræ classes armatæ: vel singulæ naves armatæ, sive militares, sive piraticæ: vel onerariæ ad portus ac littora alieni territorii appellentes, quavis noxia domino, utilia autem suis, apportantes: vel aliæ qualescunque naves onerariæ hostium. Quibus circumstantiis incidentibus, navigationi remora fieri solet, si modo salus publica sit suprema lex. Ita intercluditur usus Oceanum sulcandi liber, ad loca hostilia, unde quavis injuria exoriri, vel metus probabilis præsumi potest. Immo libertatem navigandi determinare, interdicta cum exteris commerciorum vicissitudine, haut inconvetum est; adeo ut universa mercatura cum iis interdici possit, vel certis saltim cum populis: vel etiam deniq; mercium genera prohibeantur, ne importentur exportenturve scilicet; omnia ad ejus Reip. in qua vivis, utilitatem, attemperabis. Conf. JOH. STRAUCHII Dissert. de Imper. Maris, c. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & DN. M. EYRE & GOTT. DAN. COLBERGII Dissert. de Jure Navigandi. Fluvios, absque accolarum terrore ac damno, trajicere licet volentibus: eadem est ratio fluminum amniumque. Non prohibere aqua profuente, res est innoxia. CICERO. Quamvis verò flumina sint vel publica, vel privata; aqua tamen profluens ad potandum, aquandum ac lavandum, cuivis pacato homini ut indulgeatur, par est, quodq; ipsa vulgaris humanitas præcipit. Illud vero non imputandum, quod & frustra alias perit, ac continuo aliter affluxu. De quo PLAUTUS sic, de fluvio qui aquam derivat sibi, nisi derivetur,

C

tamen

tamen omnis ea aqua abeat in mare. Et OVIDIUS: quis vetet, appo-
suo lumen de lumine sumi, atque cavum vastas in mare seruet aquas.
Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est. Et paucis inter-
positis; nec tennes undas; ad publica munera veni. Aquarum abun-
dantia in fontibus, ubi haberi potest, cuilibet patebit, idque citra
domini nocumentum. QVO ref. PLUTARCH. Sympos. ἄτε νόμοις
ἐμφορεθέντας πηγῆν ἀπολυφλῆν κ' ἀποκρύψειν. Item de aquis
in Solone. De puteis manufactis intra prædium existentibus, alia
prorsus videtur ratio: quæ quidem aqua privata, inopiæ vicinorum,
quorum sterile solum esse constat, non coacte subveniendum est, non
tamen ut talium alatur ignavia, aut illis varia incommoda aliorum
bonis creandi malaque inferendi, quævis detur occasio.

XV. Quamquam transitus inermium navium, innocuus, & usus
commerciorum, fluminum, maris, portuumque sit liberrimus; attamen
naturali æquitati adversum est, ut alicui officium suum fiat damnosum.
Idcirco ob publicam securitatem, variaque alia commoda, quæ fre-
torum & portuum domini præternavigaturis præstant, non iniquum
esse censetur, si vectigalia & portoria ab iisdem exigant, modo iusti
statera servetur, & avari titulus evitetur. Circa hæc & alia, vide
BOECLER, ad Grot. varie & docte differentem. Et conf. STRAUCH.
loc. cit. c. VII. Nec minus in fluviis idem pendendi oneris maritimi
genus, observatum est; ubi modici quid, pro transitu & navicularum
rationumque usu aliisque perceptis operis, ripas inhabitantibus
solvetur. Id quod, ut alibi, ita & in Svecorum Angermannia ejusque
fluvio satis periculoso ac notabili; Angermann-ån / usu longo rece-
ptum esse, neminem nostrum latet.

XVI. Ad usum rerum innoxium, concessio iudem ad alterius populi
littora accedendi, refertur; iis præsertim gratificanda, qui, vi tempe-
statis majori jactati; aliove casu ad oras pulsati, puta, ut naves suas
reparent, vectorum valetudinem curent, commeatus comparent, aliaque
necessaria æquo pretio accipiant, per breve tempus commoraturi.
Quod officium communis natura commendat. Contra vero si con-
tingat constetque certo, tales animo hostili accessum parare, classem
armis virisque probe instructam secum advehere, aut vitis quibusvis,
sive naturalibus, sive moralibus, esse infectos, summi Imperantis erit
providere, occasionesque eis præscindere, quo ejusmodi emergens
incolis

incolis oppressio, regnoqve imminens excidium propulsetur, & alle-
vertatur mature.

XVII. In aura, eaqve superioribus locis, & undis, virium peri-
culo facto, ad *terram* demum est perventum. Per quam, iter inno-
xium cuivis inermi alias patens, si eidem denegetur, honestam licet
ac necessariam alleganti causam, nullumqve damnum alienis se illa-
tutum pollicenti, humanitati parum congruit. Si vero numerosa
eaqve armata multitudo petat accessum transitumqve, altioris est res
indaginis. Quo in casu, cautionibus propositis non valentibus, vel
divisim transeat & per partes, vel sumantur obsides, si pactum cum
fœderato talem veniam transeundi non inhibeat. Quo facto, peti-
tioni locus non relinquatur, cum modestia tamen & sine adjecta con-
tumelia, præcipue, si aditum postulante viribus multo sit inferior.
Quod alias licet privatæ, id excellentiori gradu, personæ publicæ in
sua ditione licere, nullus ibit inficias. *Mercibus* etiam, secundum
monita sapientum, libere transire, permittetur. Commercia enim,
quorum exercendorum ratio & necessitas ad vitam præsentem bene
agendam, iusta subest, intercludenda non erunt. In nostra regione mer-
ces quandoq; sibi posse, atq; indigenas potius, quam peregrinos ex-
terosq; aliqvod ex iis capere & sentire lucrum, probabile est. Etiam si
vero mercibus transvehendis & terrestri itinere transportandis, ipsa
lex humanitatis licentiam videatur indulgere; accidit tamen non ra-
ro, ut iisdem *tributum* aliqvod imponere, conveniat. Viarum namqve
publicarum conservaciones, negotiantibus securitatem exhibendam,
pontiumq; extruções ac reparaciones indefessas, impendiis carere
impensisq; nemo facile pronunciaverit: ut itinerum compendia ali-
asqve commoditates nunc sileam, tam viatoribus, quam ipsis rebus,
prætereuntibus, passim obvias. Damnum, qvod arvis, vinetis ac pra-
tis hoc nomine ab extraneis solet inferri, refarcire iisdem obligantur, atq;
præsentem pecuniam, pro ea, si qua re habeant opus, offerre tenentur.
Servile enim est, & libero quovis homine plane indignum, ad quasvis
inurias ab altero se nudari, & inevitabili quasi necessitate proprios cives
annona affligi, ut patiat. Nec non *transitus per pontes* exiguum vectigal
(pontaticum in veteribus formulis vulgo dictum,) solvendum jubet, ut
tamen illi semper emendentur, ne euntes impeditum sentiant transitum.

XVIII. Non incommode hic loci, de *peregrinis recipiendis*, cam-
pus

pus disputandi satis amplius, sese offert. *An hominum multitudo numerosa, suis sedibus expulsa, intra imperii viscera, perpetuo habuandi gratia sit acceptanda, inter eruditos acriter controversitur; videndum enim, num vaga & inops nulliusq; sceleris causa eiecta, an vero bellicosa-armisq; stipata fuerit.* Hoc si eveniat non inconsulto mansio eidem, factiones forte & seditiones quasvis excitaturæ, sacra ac civilia instituta turbaturæ, & ipsam Rempublicam deniq; eversturæ, veniet adserenda. Exemplorum plena est historia. Receptus enim semel erinaceus, difficulter deinde expelletur. Illud autem, si fiat, perpensis singulis circumstantiis ad hoc facientibus, poterit ejusmodi numerus hominum indigens ac industria pollens, sine periculo admitti ad sedes illas occupandas quæ a Principe fuerint ei determinatæ. Et sic non *occupatio*, sed *naturalisatio*, quam vocant plerumq; hic locum inveniet. Præterea, in cive recipiendo, accurata ac exquisita, originis, vitæ, morum & fortunæ inquisitio ut præcedat, diligenter graviterqve monent Politici. Præter alios vid. CHRISTOPH. FORSTNER. *not. polit. ad l. XI. c. XXIII. annal. Tacit.* & DAVID MEVIUS *ad Jus Lubecens. l. I. tit. II.* Sterile solum quod a nonnullis prætenditur, ejus sane locus, quoque consilii & officii est, non juris pleni & directi. *Exules & sedes postulantes*, ubi locum desertum vi occupare valuerint, metu non careret, in eodem eos collocari. Amice vero & quiete si cum incolis vixerint, inque unam cum iis societatem arcte coaluerint, quin jure civitatis sint donandi, nihil obstabit; sin secus, non. Exemplo res clara fiet. Multitudo quædam modica, cultis terris interjectas desiderans in iis cumprimis locis, ubi sparsim habitatur, & Reipublicæ legibus sese applicans, charitatis est opus, ut jurisdictionis fiat particeps, & in dicta loca distribuatur. Vel fac, alia populi pars innocens, religionis ergo, aliove infortunio relicta, novasque sedes modeste querens, si conjuncta eas non invenerit, divisa impetrabit, ut e re esse videatur civitatis. Qui tamen advenæ semel admisi, citra injuriam causamque prægnantem minime rursus ejicientur.

XIX. Populus virginibus ac fœminis destitutus, novam urbem aliubi conditurus, res putatur esse innoxia, quod libere apud vicinas gentes connubia ineat, contrahatque. Sed hunc locum salebris haut vacare, notant viri docti, & rerum politicarum non ignari. Et quamvis GROTIUS hoc officii genus concedi debere arbitretur, nisi delictum

delictum præcesserit, hoc tamen rem conficere minime videtur. Quid enim de reliquis momentis erit iudicandum? Nil aliud, quam quod parentum libertas, jusque superiorum in suos in discrimen adducetur. Adde; quod hospitum ac inquilinorum defectus naturalis moralisve fat remora impedimentiqve huic rei injiciat. Verbo: ad quod non privatus homo, ad id nec aliqua Resp. adigi potest, mulierum videlicet extraditionem. Ast ponatur casus, quod quidam barbari moris homines, vacuum insulam infederint, & apud Christianos proxime degentes matrimonia ambierint, quæritur, num eorum petito foret annuendum? quidni? modo barbariem exuerint, veram religionem fuerint amplexi, clavumq; imperii tenenti, obsequium præstiterint. De modo tamen concedendi tradendiq; adhuc duraret litigium, an hoc, vel istoc, vel illo?

XX. *Qui non ob curiositatem terras alienas peragrant, rerumve arcandarum expiscandarum gratia, ditiones promiscue lustrant, sed justa de causa domo sua absunt: sic ut extrema sint conditionis homines nullaque habentes certa ac fixa domicilia, aliq; in suis itineribus versantes; eos lecto removere & hospicio comiter non excipere, barbara est inhumanitas, jurisque hospitii, veteribus etiam sancti, violatio.* In quo qui deliquerunt, de iis supplicium interdum satis grave sumptum esse, testis est historia, & quorundam statuta non negant. Consul. DAVID FRÖLICHU Viator. Part. I. lib. I. Probl. 86. Ejusdem classis sunt officia sequentia. Erranti homini viam monstrare. CICERO. Ἀγνοῖς ἐν ταῖς ἀραῖς ὅτι ἐσίν, εἰ τις μὴ φράσαι ὀρθὴν ὁδόν. DIPHILUS. Et alius: ἐρμῆν Φασὶ μέγιστον ἐπὶ βραβείων κεκολλῶσαι εἶπεν ὁδὸν χαρτέιον ἀνήνηται τις ὁδίτην. Consilium fidele, deliberanti dare (συμβελητέον χρημα.) & interroganti respondere; officium humanitatis egregium. Impellimur natura, ut prodesse velimus quamplurimis, imprimis docendo, rationibusque prudentis tradendis. CICERO. Et SENECA. In hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni scivimus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam. Sic sepultura humanitatis est officium; humana enim natura indignum aliquem sui similem palam corruptioni exponi: Ignotis cadaveribus humum congerere, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurreret, ne non quantumcumq; veneretur aggestu. QUINTILIAN. l. c. Ad hæc, proxima

ximi jamenta in via cadentia, vel sub onere succumbentia juvare atq;
collevare, & errantia pecora ad possessorem reducere: manum la-
pfitro porrigere ac cæcum manuducere, hæc & alia, si quæ sint, licet
quandoque plurimum profint, eorum tamen vilitas, ut Calendario in-
ferbantur, vetat. Huc usque de communi, jam de speciali & proprio
objecto.

XXI. In specialibus recensendis non multus ero. Quilibet, cum
mobilibus tum immobilibus bonis qui abundat, nec eorum usum ipsemet opus
habet, ut is innoxius manet, ita facilius sine proprio incommodo, cum eo,
qui tali indiget, ipsum communicare & potest & debet. Aedes, quæ spe-
ctris malisque geniis infestantur, quæve peste cernuntur infectæ, si
quis egenus ad tales inhabitandum cogatur, ac sponte audeat accedere,
eas libenter dominus aliis gaudens quietis & re mala vacuis, ei conce-
det. Copia frumentorum, quæ nec a possessoribus consumi, neque di-
vendi queunt, instructus, quoniam ejusmodi rem amplius possidere
non cupit, vel nequit, vel ob ubertatem, vel molestam asservationem,
eam certius integram relinquere, partemve quandam ad minimum, ut
aliis in usum cedat, quam eandem velle corrumpi planeque perire,
jure tenebitur humanitatis. In hanc rem audiamus FLUTARCH. *quæst.*
Sympos. l. VII. Nobis satis non est, nutrimentum perdere, ubi assatum sumus
saturati. Et in alio loco: nullam rem necessariam, cujus copia nobis
suppetit, perdere nos debere; sed aliis relinquenda ea esse, quibus, usus
est iis, ubi nos non amplius indigemus. Et hoc omnino non licet, ut,
quum nobis de necessariis satis providerimus, aliis, ne idem etiam
faciant, simus impedimento scandaloque. Similiter pratorum aliorumque
locorum, e quibus fœnum non colligit dominus, aliis capiat utilitatem.
Privata sylva, ut publicas reticeam, quarum magna satis, in natali meo
solo habetur copia, extra privatam usum, patent indigenti, adeo ut non
modo trabes ædificiis extruendis sufficienter præbeant; sed etiam
lignorum, in usum domesticum ignisque alimentum, materiam uberti-
mam. Idem sentiendum de argilla communi arenisque fodiendis; peda-
mentis sumendis, atque lapidibus cadendis ad commodum prædiorum
rusticorum: nec non iis, quæ post segetum collectionem in agris relicta
inveniuntur, in pauperum sustentationem convertendis. Horti, ubi
locorum talium felicitas est, ob onerosam, quam secum habent plerumque
tutelam, custodiri, pluresque impensas, quam quanti erunt fructus
redituri,

redituri, a Dominis curari qui nequeunt & sepiri, consultius meliusque foret, si alii eosdem excolant, & sepibus idoneis circumdent, quam ut penitus destruantur, fructusque adeo nullos ferant. Præsumendum non est, rem tam onerosæ custodiæ, suæque curæ quempiam voluisse, proximo spreto, in perpetuum reservare. *Stagnorum, fluminum, & amnium usum ad piscandum*, nefas non est aliis ad tempus dare, præcipue quando ipsorum domini ipsimet, ejus rei periti non sunt, carentque insuper instrumentis ad id aptis. *Aves in alienis terris ut capiuntur*, itidem concedendum. *Homines, qui pecuniarum bona suppellectilibus pollent*, iis, (non indignis & fallacibus,) qui necessitate premuntur urgenturque, & in posterum certo se soluturos, favente fortuna, spondent ac fidem dant, eadem subvenire, suisque nummis tales sublevare, jure adstringuntur. In cista enim reconditus thesaurus, nemini inservit. Secus autem qui agit, lapidi dissimilis non est, qui propter figuram ad speram plus loci, quam ipse implet, ceteris aufert: neque ob materiæ duriem se comprimi, nec ipsum ædificium compaginari, sinit, tanquam incommodus, abjicitur; ita *πλεονέκτης*, per detestabilem nummi amorem, retento sibi superfluo, necessarium aliis adimit, insociabilis & ceu inhumanus numerabitur. Non dispari modo & alii: qui ea, quæ ad victum & humanum cultum sive amictum faciunt, proximo non duntaxat non dant, sed dari invident, canibus adsimilandi, qui quamvis læno incubent, eoque vesci nesciant, boves tamen & alia animalia id accessura, ut capiant, latratu morsuque sæpe abigunt. Reliquis hujus generis officii declarandis, quæ propemodum sunt infinita, quæque in civili hac vita, quotidiana experientia nobis ob oculos ponit, imperatæ mihi brevitatis memor, lubens supersedeo: sicque ad finem properans, hisce obiter & perfunctorie tractatis, DEO pro concessa gratia, immortalis grates persolvo.

THESES MISCELLANÆ.

- I. *Scaturigo Potestatis civilis a DEO immediate arcessenda.*
- II. *Omnes homines natura æquales esse, probat ratio: Et sic vana est omnis naturalis servitus.*
- III. *Ut homo civilis & homo politicus; ita Civis bonus & bonus Vir, pari passu non ambulant.*

IV. *Sum-*

IV. Summam bonum quod consistat in tranquillitate animi, rationibus non caret.

V. Præcepta Juris Gentium quamvis pleraque a Jure Naturæ deducantur; non tamen illud cum hoc coincidit absolute.

VI. Circa jus naturæ uti nulla datur mutatio; ita nec dispensatio, vel interpretatio.

VII. Eminens dominium licet Principi semper ac ubique competat; attamen sine re urgente & necessitate, idem non arripiat.

VIII. Historia omnium disciplinarum est instrumentum.

IX. Æquitas, quæ alias per correctionem, per appendicem sive additamentum commodius definitur.

X. Respirationem non attractione, sed mera impulsione aeris peragi, Philosophi accuratius ostendunt.

XI. Vacuum in rerum natura dari, rationi sanæ repugnat.

XII. Aeri inesse quandam vim expansivam, monstrant moderni philosophantes.

XIII. Operationes mentis vel corporis puræ, cum mixtis: & hæc cum illis non sunt confundendæ, sed Philosopho naturali probe cognoscendæ ac distingvendæ.

XIV. Mentis nostræ essentia non consistit in sola cogitatione: sicut essentia corporis non consistit in sola extensione.

XV. In verba alicujus auctoris prius jurare, quam clare & distincte res conspicerit, hominis est creduli & indocti.

S. D. G.

